726
C

DE STRATIOTE MILLEFOLIA.
CAP. CCLXXVII.

NOMINA.

Millefolium.

Stratiotes unde dicta.

ΣΤΡΑΤΙΩΤΗΣ ὁ χιλιόφυλλος Græcis, Stratiotes millefolia Latinis, officinis & herbarijs Millefolium, Germanis Garben/ Schafgarben/ Schafripp/ Tauſendtblatt/ & Gerwel nominatur. Stratiotes uerò Græcis, id eſt, militaris dicta eſt, quod uulnera ferro facta ſanet, atqueadeo in militia & caſtris multus eius uſus ſit.

FORMA.

Frutex eſt exiguus, dodrantalis & maior. Folia habet pulli auium pennis ſimilia. Suntq; foliorum exortus admodũ breues, inciſuris diuiſi. Breuitate uerò & aſperitate Cumino ſylueſtri maximè aſsimilantur, & etiamnum breuiora. Huius denique umbella denſior & plenior: ſurculos enim in cacumine paruos habet, in quibus Anethi modo umbellæ ſunt. Flores illi candidi & exigui ſunt.

LOCVS.

Naſcitur in agris aſperis, & præcipuè circa uias ac ſemitas.

TEMPVS.

Per integram floret æſtatem.

TEMPERAMENTVM.

Nonnihil adſtrictionis habet, atqueadeo exiccat.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Eximiè utilis eſt herba ipſa ad ſanguinis eruptionẽ, & ad ulcera ũetera ac recentia: item ad fiſtulas.

EX GALENO.

D Vulnera glutinare poteſt, & ulcerib. utilis eſt. Sunt qui ea ad ſanguinis eruptiones utantur, & ad fiſtulas.

EX PLINIO.

Hetruria Millefolium appellat herbam in pratis tenuem, à lateribus capillamenti modo folioſam, eximij uſus ad uulnera. Boum neruos abſciſſos uomere, ſolidari ea, rurſusq; iungi addita axungia affirmant.

APPENDIX.

Recentiores ad eoſdem uſus Millefolium ſuum adhibent, ad ſananda nimirum omnis generis uulnera, diſſoluendum ſanguinem concretũ, & ad conſtringendos menſes. Vnde à Stratiote millefolia non eſſe diuerſum omnibus perſpicuũ fit.

DE SARRA-



STRATIOTES
MILLEFOLIA.